






1
7
93










HENRICI MEIBOMII
DE
DIVI JULII
DUCIS BRUNSU.
ET
LYNEBURG.
FUNDATORIS ACADEMIÆ
JULIÆ
POSTERITATE
in Masculis quidem extincta, sed per Fæminas
in Nepotibus florescente
ORATIO
IPSO ACADEMIÆ NATALI
XV. Octobr. A. CIↃ IↃ C LXXXV.
Habita
IN JULEO.

HELMESTADI,
Typis & sumptibus GEORG-WOLFGANGI HAMMII,
Acad. Typogr.

Anno M DC LXXXV.



SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. LVDOVICO RVDOLPHO

DVCI BRVNSVICENSIVM AC LVNÆBVRGENSIVM

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

FELICITATEM PERPETVAM

OPTAT

DEVOTISSIMA MENTE

HENRICVS MEIBOMIVS.

SERENISSIME PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME



Uam SERENti VESTRÆ offero Oratiunculam, paucarum pagellarum, & nullius cultus, ea tanti non erat, ut ad Italiæ Galliarumque confinia, & cultissimum

ſimum Taurinum mitteretur, & à S. V. legeretur, nec ego tanti Nominis præſcriptione ambitioſior abuterer, niſi illi pretium ſtatueret argumentum. Argumentum enim Abavus Veſter, à Patre & Matre, DIVUS JULIUS, ejusque Poſteri, Majores, Parentes, & Cognati Veſtri ſunt. Nulli extant in tanto numero, in quibus non bellicæ aut togatæ virtutis, prudentiæ ſummæ, pietatis ſeriæ, documenta legere liceat; plurimi eorum, inter Imperii graves curas, cum Muſis quoque commercia habuerunt, easque foverunt, amarunt, &, quod plurimum ad auctorttatem ſpretarum alias Virginum facit, ſuo exemplo aliis commendarunt. Quos quidem in hac ætate SER.tas Vra intueri, iisque ad Heroicos actus ſeſe exſtimulare, tantò majore cum voluptate & ſucceſſu poterit, quantò fortius animos irritare ſolent ex propria Gente petita domeſtica exempla. Scio

equidem, omnia iſta SER[ti] V[ræ] eſſe notisſima, quæ recenſui, cum Hiſtorias, non domeſticas tantum, ſed omnium Europæ Familiarum Illuſtrium, ad unguem calleat; non injucundum tamen futurum arbitror, tot famæ & æternitati conſecrata nomina in compendio legere, & tot illuſtria exempla uno conſpectu intueri, ſimulque meam in Fundatorem Academiæ noſtræ pietatem agnoſcere. Recordatur adhuc devotisſima mente illorum temporum Academia JULIA, quibus SER[tas] V[ra] acceſſu ſuo propenſum in eam, ejusq; membra, animum clementisſime aliquoties oſtendere dignata eſt, cupitque nunc monſtrare, ſe abſentem pari cultu venerari, memoriamque Virtutum Suarum ſemper ſanctam ſervare. Idque me potisſimum interprete: quem SER. V- majori ſemper clementia, etſi cauſam illius neſcirem, proſecuta eſt; quique paullo intimius novi, quanto ardore, inter cætera

orna-

ornamenta, excelsæ fortunæ fastigio digna, eum, qui â sapientiæ studiis, & selecto eruditionis apparatu Principibus accedere potest, splendorem juvenilibus annis sibi acquirere, & summa indolis capacitate eò eniti tentet, ut, quod à fortuna, licet maximum, habet, minimum in ea aliquando agnoscatur, propriisque & veris Heroicæ virtutis pretiis, viventibus posterisque æstimetur. Servet DEUS Opt. Max. SER[ti] V[ræ] illum animum, integraque sanitate, & omnibus mentis corporisque dotibus ornatissimam, feliciter aliqvando ad nos reducat, ut, quæ nunc vota pro absente facimus, ea impleta esse, cum SEREN[mis] PARENTIBUS, totaque Patria, lætabundi cernamus! Helmstadl in Acad. JULIA. Prid. Calend. Decembr. A. CIƆ IƆ C LXXXV.

Magni-



Magnifice Domine ProRector,
Illustrissime Domine,

DN. HENRICE XIII.
Sen. Lin. Reuß/
S. R. Imp. Comes, Comes ac Domine de Plauen/
Domine in Greitz/ Gera, Schleitz/ Lobenstein &c.
Domine Gratiose,

Spectabiles omnium Ordinum Decani,

Admodum Reverendi, Nobilissimi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi Domini Professores, Collegæ honoratissimi,

Plurimum Reverendi Domini Pastores, Hospites & Amici honorandi,

Et Tu, præstantissimorum Juvenum, in lætam spem patriæ crescentium, nobilissima concio.

Quem



QUem vix dum orientem devota sanctitate in Ecclesiæ cætu, conjunctis cum oppidi incolis votis, celebrare cæpimus, & nunc occidentem litterata pietate soli absolvere decrevimus, Iduum Octobris diem, Natalis est maximi Principis Divi HENRICI JULII. Idem Natalis est hujus Academiæ nostræ, &, ut compendio verborum dicam, omnis sanæ de Deo doctrinæ, omnis rectæ eruditionis, omnium artium & scientiarum, à piissimo & summo Principe D. JULIO Duce Brunsv. & Lyneb. (assurgite quæso ad tam sanctum & venerabile nomen Auditores) Divo, inquam, Julio ad hunc Germaniæ angulum propagatarum Natalis. Duplici igitur gaudio lætus dies! lætissimus quondam illis majoribus nostris, qui Patre Filioq; tantum opus peragentibus, ante hos novem & centum annos, inter applausus Patriæ totius, Deo Principibusque hymnos cecinerunt. Nec tamen fortassis diu Academiæ Juliæ Natales fuissent celebrati, nisi fuisset HENRICUS JULIUS, Princeps doctior incertum, an amantior doctrinæ & doctorum: nec sine causa pius, & in minoribus quoque acutè prudens, parens JULIUS filii sui HENRICI JULII

Natali die hanc Academiam erigere voluit, quam, ut Junior Princeps, quoties sui Natalis diei meminisset, Academiæ quoque, & propagandorum studiorum recordaretur. Nec fortassis hæc magnifica, & in Europæ eruditæ invidiam erecta, Domus, staret, nisi HENRICUS JULIUS voti paterni memor fuisset, cui vivus partem Academicæ curæ dederat, moriens omnem reliquerat Parens, Principi ab incunabulis omni doctrina innutrito, inque magnificis ad DEI honorem ædibus excitandis, si unquam quisquam, glorioso. Jussi vero sumùs, hunc Academiæ nostræ Natalem quotannis celebrare, & in Conditoris D. JULII laudes pia oratione ora nostra linguasque solvere. Quo quidem more, quid pulcrius, quid dignius? Quid pium magis, quam si Conditori & Fundatori suo, publica auctoritate gratias agat Academia? Sed, cur jussi sumus? An quisquam nostrûm ita bona sua non intelligit, aut ita ingratus est, qui non sponte sua id agat? qui non ob tanta beneficia DEUM, & DEI in his terris ad tantum opus exequendum ministrum JULIUM sanctè veneretur, & prolixè laudet? Dum de eo, quod terra genuit, quod sol aluit, quod annus tulit, quidam primitias, decimasque DEO & benefactoribus suis offerunt, nos non primitias, sed quicquid parere ingenium nostrum potest, quicquid doctrinæ ubertas proferre, totum quantum quantum est, consecrare fundatoribus, statoribusque nostris debemus. Diem igitur tantum dictum credo, horam determinatam, quâ id publicè ageremus, ipsum vero pietatis officium, ipsam devotionem, ipsam cultus sanctitatem mentibus & conscientiis nostris relictam esse, quæ pleno ore sensus gratos

tos ſemper & ubique promeret. An quisquam eorum, qui hîc docent, quiq; hîc diſcunt, nominare Academiam poteſt, quin, ad conditoris JULII ſanctum nomen venerandum, pari ardore accendatur, ac ille quondam divino inſtinctu ad excitanda recta ſtudia & veram religionem, penè ſine æmulo, ſine exemqlo, fuit accenſus. Aſſecuta eſt nomen Tuum Academia hæc, DIVE JULI, ut ſemper, in illo rerum humanarum Euripo, ſuccedentibus novis Dominis, agnoſcatur tamen ut tua; ut, aùdito nomine, ſemper recordemur, à quo meruerit vocari. Hoc Auditorium, digna Apolline ipſo ſedes, hoc JULEUM, ex quo tam magnificè conditum, & ante hos ſeptuaginta ſeptem annos hoc ipſo die piè inauguratum, hæ ſuperbæ pilæ, hæc alta laquearia, JULII & JULIADUM laudibus plus millies, ut ita dicam, ſonuerunt. Illius in adoleſcentia mirum fatum, in viro virtutes & ſtupenda facta, in ſeniore prudentiam, diſertiſſimæ linguæ, verbis exquiſitiſſimis, elegantia, nitore, copia ſingulari, prorſa vorſaque oratione, expoſuerunt, publico dein typo exſcriptis, ut orbis terrarum debitæ pietatis teſtis adhiberetur & conſcius. Illum Conſtantino M. illum Theodoſio, illum Carolo M. pietatis, relligionis, litterarum propagatarum, & fugatæ barbariei nomine æquaverunt, an prætulerunt? Si hodie quiſquam inter Chriſtianos dubitaret, forte caſuque, an DEO auctore, Rectores terris darentur, hunc tamen Principem JULIUM afflictæ patriæ divinitus datum, ex hiſtoria temporum illorum diſcere poſſet. Acceperat poſt mortem Patris Rempublicam plenam ſollicitudinis & timoris, cum nihil eſſet mali, nihil adverſi, quod non præteritarum

rerum imagine mali exſpectarent, boni metuerent. Erant in his regionibus omnia pene adhuc ſquallida barbarie, obſcura ſuperſtitionibus, fæda erroribus, omnium ſcientiarum & artium, præterquam bellicarum, ſupina ignorantia: meliora conantibus obſtabat bellum, inimicum legibus, litteris, pietati. Chaos dixiſſes, non rempublicam, ipſis terrarum Dominis aliquamdiu ejectis & exulantibus. Hæc in ordinem redigere, hanc caliginem depellere, ſquallorem detergere, obſcuritatem illuſtrare, DEI opera videbatur, vix hominis. At JULIUS mox ad bene ſperandum ſignum ſuſtulit, novoque exemplo feliciter oſtendit, inſtrumenta magnæ fortunæ eſſe ſapientiam & doctrinam. Ille nec cogitantibus, nec opinantibus, (quoniam fieri poſſe non videbatur) tranquillitatem & ſalutem omnibus reddidit. Ille pacem patriæ dare, cum finitimis colere, litteras bonasque artes excitare, leges ſalutares condere, in veram religionem inquirere, eamque poſteris relinquere. Hæc ſunt omnia cum plena laudis, tum propria JULII. An credimus, ita prius turbatam rempublicam, veram religionem oppreſſam, falſam omnibus viribus defenſam, ut in D. JULIO novo experimento patria diſceret, cui poſt DEUM ſuam ſalutem, cui veros de DEO ſenſus, cui doctrinæ decus deberet? Dedit DEUS pacem, & auxit Principis potentiam, ut, quantum vellet, tantum poſſet, nec piis ejus conatibus reſiſteretur, felicitate temporum inter togæ ſtudia effloreſcente. Gratulari merito ſibi hæc patria debet, quod ille in hac potiſſimum, in ſpem regiminis, natus: neceſſe enim ibi florere omnia, juſtitiam, pietatem, doctrinam, ubi ille imperium teneret

ret

ret. Provenerunt illi ex diligenti rei familiaris conſti-tutione, commerciorum amplitudine, metallorum ubertate, ingentes theſauri, quos effunderet; quanquam non ſum uſus verbo, quo decuit; non enim effudit, ſed in ſalutem reip. collocavit, & fœnori elocavit, quo uberrimo poſteritas gaudet. Nullum Principe, immortalitatemque merituro, impendii genus dignius, quam quod hoc modo ad ſalutem poſterorum erogatur; ideoque, ſi non reliquis maximis factis, hoc ſolo divino & immortali, quo Academiam erexit, æternitatem nominis conſecutus eſſet JULIUS. Sunt vero deinde Avitum Paternumque exemplum ſecuti Filius, Neposque, &, ſicut Divus Parens JULIUS ipſum Lyceum condiderat glorioſè, & dotaverat liberaliter, amplis quoque reditibus aſſignatis pro iis, qui à fortuna derelicti Principis gratiam, non ut Domini, ſed ut Altoris, expeterent: ita HENRICUS JULIUS, cum alia multa, tum hoc imprimis illuſtre Ædificinm magnifice exſtruxit. Magnum ſanè opus, quod nobis reliquit: majus tamen, quod in animis omnium, in quod nil flammis, nil vetuſtati licet. Nepos deinde FRIDERICUS ULRICUS tria inſuper Monaſteria cum prædiis ſuis, in ſalariorum augmenta, & Academicos uſus, munificus legavit, & illam quoq; eximiam Bibliothecam, uſibus hodie omnium patentem: ut ita horum conditorum & benefactorum noſtrorum laudes non homines tantum, ſed lapides ipſi & libri, muta licet & inanima, loquantur. Quid ergo eſt, Auditores optimi, quod quisquam aut dignum DIVIS illis, aut Vobis novum, aut cuiquam inauditum, poſſit adferre? Fruſtra ſanè vos morabor, & ſterilis hæc mea videbitur oratio, ſi toties dicta,

toties repetita, neminique ignota afferam, & nulla nova materia facundus, à prioribus eleganter dicta, incompto sermone deteram, & ingratam crambem fastidiendus apponam. Sumam igitur argumentum, hactenus indictum, & fortassis afferam quædam nec obvia, nec promiscuè nota, certe hoc in loco, eo orationis filo, exposita nunquam. Cum enim ante hos quinquaginta & unum annos, in FRIDERICO ULRICO, JULIA gens, & illa adeo benigna Musis Conditoris nostri mascula stirps deficeret, multis lamentis publicis, pluribus gemitibus privatis, in hac Academia jacturam illam nostri Antecessores perpenderunt. Et ex eo tempore Heroicum illud Genus occidisse, nunquam non audivimus. Ostendam vero ego nunc, moderata debere esse lamenta illa, cum non in Heroibus masculinæ stirpis planè desierit, sed per Heroinas occultè proserpens novis dein Semonibus lætiori auspicio fulgere cæperit. Est jam tum felicitas huic ATESTINO GVELPHICÆ genti per alterum sexum planè fatalis. Illa in Bavaria primum per Cunizas, mox in Saxonia hac per Wolfhildas, & Gertrudes amplissimis patrimoniis, quin etiam dignitatibus aucta est. Et vero in tanto genere ne filia quidem existere debuit, quæ non Heroum mater esset, Diis genita & genitura Deos; tanto latius se per filias diffundentibus ramulis, quo magis, in alios insertæ truncos, ultra cunabula sua, ad terras, etiam ubi non natæ sunt, transferuntur. Ut igitur Sol vesperi quidem suos nobis subducit radios, sed altero manc lætior redit: Luna quoque interdum dimidiata apparet, aut quasi tertiata, tandemque oculis se nostris subtrahit, mox pleno iterum fulsura orbe: ut ipsa quoque

que flumina terras alicubi intrant, & ſubtus abſcondita meant, emerſura dein iterum ex abdito, plenoque alveo lapſura ad mare: ita JULIA gens, extinctis maſculis Principibus, abſcondita quaſi, & ſepulta, & ab illorum, qui propinquiora ſaltem vident, oculis remota, integra tamen florensque in Nepotibus à me oſtendetur, non in aliis tantum terrarum plagis, ſed his ipſis quoque avitis terris, certa Annalium fide, & ſeculi curioſioris conſcientia.

Si igitur nobis fas hodie mortalem vocem ad cælo receptum Heroem referre, ſi quis adhuc ſenſus apud cæleſtes animas rerum terreſtrium ſupereſt, aſpice nos hîc, DIVE JULI, ea clementia, quo ſemper Tuam Juliam; eo affectu, quem toties benignum laudarunt Anteceſſores noſtri; eo vultu, quem nunquam non ſerenum Avo meo ante integrum ſeculum oſtendiſti, quoties te tuosque maſcula voce caneret: audi clementer, poſt tot ſubjectiſſimi affectus & devotionis noſtræ experimenta, hanc de Filiabus Tuis earumque Nepotibus orationem, hanc factorum tuorum appendicem, has non mei ingenii, ſed virtutis, tuorumque meritorum voces. Vos vero, omnium ordinum Auditores honoratiſſimi, date hoc Conditoris hujus Academiæ glorioſæ memoriæ, &, ſi forte longius vos detineam, cogitate, quam varia terrarum ſpatia mihi emetienda ſint, nec intra terminos Occari, Albis, Viſurgisque ſubſiſtendum, ſed modo ad Salam & Elyſtrum, modo ad Nicrum & Rhenum, modo ad Vahalim, Iſalam, Scaldim, Moſam, ſæpe etiam ad utrumque Septentrionale & Balthicum mare excurrendum: & interea patienter audite, non elegantia ſermonis,

monis,

monis, ſed rerum varietate, & hiſtoriæ veritate imprimis placituram.

Duxerat D. JULIUS uxorem HEDWIGIN Joachimi II. Electoris Brandeburgici, qui ob eloquentiam & litteras inter Germaniæ Principes maximè eminuit, filiam, Sigiſmundi Poloniæ Regis neptem, duabusque illis maximis Domubus, in quibus omnigena virtutum exempla, coëuntibus, nata erat ſoboles multa, præter ſcilicet HENRICUM JULIUM, tres filii, filiæ plures. Prior Ducatum accepit. Alter PHILIPPUS SIGISMUNDUS Cathedralis Eccleſiæ Halberſtadenſis Præpoſitura ornatus, à Capitulo Verdenſi, Epiſcopo Eberhardo ab Holle mortuo, in Præſulem poſtulatus, & quinquennio poſt, cum Bernhardus Comes Waldeccenſis, Epiſcopus Oſnabrugenſis, objiſſet, illi quoque ſucceſſor ſurrogatus eſt, difficillimis temporibus. Non eſt enim in Oceano major æſtus, ſi quando Æolus ſrena laxat ventis, & Neptunus decumanos fluctus concitat, quâm tum temporis in vicino Belgio excitabatur, fervente inter Hiſpanum & Unitos Belgas exitiabili bello. Hîc igitur Præſulis Oſnabrugenſis prudentia imprimis enituit, & amor ſuorum, dum ſollicite cavit, ne quicquam periculi à vicina Cremona Mantuæ ſuæ: deditque interea operam, ut religio vera indies augmentum caperet: quibus pacis pietatisque ſtudiis deditus & in cælibatu manens, objit, nondum ſenex, magno ſuorum luctu. Reliqui duo JOACHIMUS CAROLUS & JULIUS AUGUSTUS hac Academia Julia ſtudiorum ſuorum directrice uſi, in hoc oppido aliquamdiu vixerunt, cum eodem tempore quatuor alii Sereniſſimæ Domus Principes, Wilhelmus,

mus, Otto, Johannes, Fridericus, Ottonis Harburgici filii, Studiorum causa huc venissent. Ex quibus JOACHIMUS CAROLUS, Canonicus Argentinensis, & dein Præpositus, in Ungaria quoque contra Turcas sub Francisco, Saxoniæ inferioris Duce, militavit, mortuns Calvordæ, anno hujus seculi XV, & in vicino nobis Vallis Mariæ Monasterio tumulatus, Vexillo ejus hodieque visendo: quem intra anni spatium secutus est placida morte JULIUS AUGUSTUS, Abbas Michelsteinensis & Præpositus S. Blasii in Urbe Brunsvico, princeps pius, & Deo devotus. Solus igitur HENRICUS JULIUS propagavit familiam. Magnus erat passim luctus, quando ante hos nonaginta sex annos JULIUS, sexaginta & unum annos natus, (cui plura secula voverant omnes) post optime constitutam Remp. & pace firmatam, redditâ cœlo anima, humanis rebus eriperetur, requiem daturus sibi, postquam patriæ prius. Magnus, inquam, luctus! & revera etiam ingens id vulnus erat, visceribus ipsis patriæ profundè impressum. Cum tamen filium HENRICUM JULIUM, rebus dubiis auxilium, relinqueret, hoc ipso, ut omnibus desiderandus minus desideraretur, effecit. Et ille quidem maximus Princeps, qui Danubium Visurgimque admirationis suæ fama conjunxerat, non suis tantum, vel Principibus Imperii, sed ipsis AUGUSTIS, Rudolpho, ejusque fratri Matthiæ, ob eminentem virtutem & prudentiam æstimatissimus, studiorum & hujus Academiæ, Patre spoliatæ, quasi relictus tutor, paterna vestigia subsecutus, religionem puram in vicinum Episcopatnm Halberstadensem, cui simul præerat, introduxit, & pluribus

virtutis, justitiæ, pietatisque editis documentis ubique inclaruit. Nec defuerunt ipsi utriusque sexus liberi. Secundo conjugio ex Elisabetha, Daniæ R. Friderici II. filia, nati sunt aliquot filii, munimenta Principalis Domus, ut jam justa successione potentia firmata, & fœcundo connubio roborata videretur. Primus ipsi, post FRIDERICUM ULRICUM, successorem, natus est HENRICUS JULIUS, quem à Patre, in clementiæ signum, & bono omine, Academia hæc Julia ex baptismo suscipere jussa est, mortuum tamen in pueritia. Alterum CHRISTIANUM Halberstadense Capitulum in Episcopum postulavit, venitque in hanc Academiam decimo sexto ætatis suæ anno, semperque illam amavit, & fovit, de quo imprimis Medicorum ordo gloriari potest, cui Tabulas Anatomicas, elegantia singulari depictas, dono dedit. Princeps fuit magni & erecti animi, sed celerrimi motus, deditque hoc occasionem, ut famam ejus lacerarent improbi pariter & ignavi, sui ingenii frigore heroicarum mentium calorem æstimantes, res vero ex eventu judicantes, cum tamen incidisse illum in fatalia quædam tempora, pluribus, & maximis mentibus inimica, nemo sit, qui nesciat. Mortuus est Heros anno seculi nostri vigesimo septimo, ætatis suæ vigesimo sexto. Tertius filiorum RUDOLPHUS, cum Episcopus Halberstadensis jam esset postulatus, Tubingæ in illustri collegio, inter maximæ spei præludia, mortuus est, ibique sepultus. Ultimus HENRICUS CAROLUS, qui cum fratre CHRISTIANO, nondum sex annorum, in hanc Academiam venerat, Patre mortuo in Episcopum Halberstadensem postulatus, hîc finem vivendi fecit. Magna de eo exspecta-

tio

tio paſſim, hic admiratio: amor ipſe delitiumque omnium erat. Sed variolis malignis in gremio complexuque Academiæ extinctus, Wolfenbuttelum in paternum ſepulcrum ductus eſt, eodem quo ante quadraginta ſeptem annos proavus ipſius Henricus Junior die. Solus ſupererat, FRIDERICUS ULRICUS, quo quidem nullum inter tot monumenta clarius relinquere potuiſſet Pater, veram effigiem virtutis ſuæ, conſtantiæ, & pietatis, At incidit virtus Illius in ea tempora, quibus Germania, & hic præſertim Ducatus, triſtiora non vidit, quibusque immortuus eſt, cum ſæpius optaſſet, non niſi tranquillata patria ad originem ſuam, id eſt, cælum redire. O infelicem principem! O infelicem patriam, quæ triſtiſſimo tempore Illo orbata eſt, ſine relicta maſcula ſobole! Ne quidem enim conjugium illud, quod cum ANNA SOPHIA Brandeburgica, plandentibus cunctis, inierat, felix fuit, quin infæcundum & eventu triſte. Etſic in ultimo hoc, JULIÆ gentis maſculi perierunt omnes, & hæc quoque Academia ad Lyneburgicos Principes, lineæ Bernhardinæ, juſta ſucceſſione devenit. Erat quidem tum miſera facies rerum, &, niſi benignitas Divina ex machina adveniſſet, Muſarum manubiæ Marti fuiſſent conſecratæ, & ille, qui tentorium ſuum in his terris fixerat Mavors, Academia abolita, impietatem, inſcitiam, barbariem, filias ſuas, in hac ſede collocaſſet. Verum Sereniſſimi Duces ſucceſſores, ſepoſitis litibus, cum reliqua eſſent partiti, hanc pulcerrimam gemmam indiviſam linquentes, novo auctoramento ſuam fecerunt omnes, eſtque nunc illa, unius quondam rami filia, à tota Sereniſſima Potentiſſimaque

Domo feliciter adoptata, alternantibus Academiæ ſceptris. Interim in alienas domus inſertæ feliciter pullularunt Heroinæ. Prima D. JULII filia, SOPHIA HEDWIGIS, ERNESTO LUDOVICO Pomeraniæ Duci nupta, & à Patre Wolgaſtum deducta, clara omnibus virtutibus, ſed maximè pietate & miſericordia erga pauperes ægrosque, peſtilentiæ imprimis tempore monſtrata, & publico ſcripto eo nomine à Boekelio celebrata. Nec infæcunda, ſed PHILIPPI JULII, Animoſi dicti, qui tamen ſtirpem ſuam anno ſec. hujus vigeſimo quinto terminavit, mater fuit; mater quoque duarum filiarum, quarum prior ELISABETHA MAGDALENA, FRIDERICO, GOTHARDI, primi Curlandiæ Ducis, Filio: poſterior HEDWIGIS MARIA, ADOLPHO, Duci Holſatiæ, deſponſata, utraque ſine prole deceſſit. Felicior D. JULII ſecundogenita MARIA, FRANCISCUM, Franciſci Senioris filium, Saxoniæ Inferioris, Angariæ & Weſtphaliæ Ducem, maritum nacta, eidem peperit novem maſculos, quinque fæmellas, ex quibus, fratribus ſuperſtes, JULIUS HENRICUS, heroicis virtutibus eminens, ſuperiori Germanico bello clariſſimus fuit, Cæſari fidiſſimus ſemper: cujus adhuc hodie ſupereſt filius junior JULIUS FRANCISCUS, gloria rei militatis majoribus ſuis par, Exercitus Cæſarei contra Turcam Dux Generalis, totius antiquisſimæ familiæ nunc ultimus: quem diu ſervet DEUS! Tertia D. JULII filia ELISABETHA, primò ADOLPHO, Comiti Holſato-Schaumburgico nupſit, eique unicum filium Buckeburgi peperit, qui apud Aviam hîc in vicinia Heſſenheimii educatus, cum jam jam in hanc Academiam avitam mit-

tendus esset, decimo sexto ætatis anno mortuus est, eumque eodem anno, sec. hujus primo, subsequutus pater, tota nobili familia tandem in Ottone, anno hujus sec. quadragesimo, extincta. Nupsit dein vidua ELISABETHA, CHRISTOPHORO, Ottonis filio, Duci Brunsv. & Lyneb. Harburgico, cum quo infæcunda altera vice viduafacta est. Quarta DOROTHEA AUGUSTA, pii Patris pia filia, Deo devota, post obitum Annæ Ericæ Waldeccensis facta Abbatissa Gandersheimensis, inter pia de Deo & cum Deo colloquia vixit, anno demum hujus seculi undecimo mortua. Ultima filiarum HEDWIGIS nupsit Ottoni Harburgico, modo memorati Christophori fratri, & ipsa infæcunda. Ut ita infelices quoque in posteritate sua filiæ D. JULII fuisse videantur, exque omnibus solus JULIUS FRANCISCUS, Inferioris Saxoniæ Dux, D. JULII pronepos, superfit. At feliciores fuerunt D. HENRICI JULII filiæ. Quam enim ex prima Conjuge DOROTHEA, AUGUSTI Saxonis filia, Regis Daniæ Nepte, genuit filiam DOROTHEAM HEDWIGIN, ea antiquissimæ Anhaltinorum Principum Domui per conjugium inserta est, nuptiis cum RUDOLPHO ante hos octoginta annos celebratis. Fuit ille princeps celeberrimus sapientia & virtute, conjugium concors, nec infæcundum, quatuor scilicet filiabus, ex quibus duæ superstites in alienas domos translatæ fæcundæ fuerunt, reliquarum una, cum Matre, tumulatâ, quæ ipsa quarto conjugii sui anno Maritum filiasque morte immatura deseruit. Prima DOROTHEA Duci Brunsv. & Lynæb. AUGUSTO, non avitæ hujus Brunsvicensis lineæ, sed alterius Cellensis Dannenbergicæ, nupsit, qui tum qui-

dem Hitrigeræ ad Jetzam amnem aulam habebat, virtutis & eruditionis fama clariorem, quàm loco, mortuo autem FRIDERICO ULRICO ad Regimen Ducatus provenit, & illarum quidem terrarum, quas Dorotheæ Avus, Proavusque tam feliciter rexerant. Dicerem de illo summo Principe, Germaniæ Nestore, multa, nisi eruditorum calamos dudum lassasset, ipse eruditissimus pariter, & non hujus tantum Academiæ, sed omnium eruditorum, quâ cultior orbis patet, incomparabilis patronus. Dicerem pluribus, nisi ante hos novemdecim annos mortuum in hac cathedra laudassem & luxissem, superstitibus adhuc, qui tum suos genitus cum meis junxerunt, Id paucis fateri cogimur, ejus sub imperio nullum annum, sæpe ne mensem quidem, aut beneficio sterilem, aut vacuum laude erga hanc Academiam fuisse. Ex illo vero AUGUSTI & DOROTHEÆ conjugio nati sunt tres Filii, & totidem Filiæ, tandemque mater septimi partus triduanis laboribus succubuit, & cum fætu sepulta est, undecimo conjugii, octavo & vigesimo ætatis anno. Filiorum primus HENRICUS AUGUSTUS bimulus mortuus est, reliqui duo superstites adhuc sunt, divino beneficio, RUDOLPHUS AUGUSTUS, & ANTONIUS ULRICUS, nuper à Fratre in consortium & dignitatem Imperii assumptus, raro amoris, raro concordiæ fraternæ exemplo, quam non minus in Serenissimis his Fratribus, quam totâ potentissimâ BRUNSVICO-LYNÆBURGICA DOMO admirantur exteri. Ex AUGUSTI filiabus SYBILLA URSULA & CLARA AUGUSTA superstites, Holsaticis Würtenbergicisque splendidissimis matrimoniis innexæ fuerunt, priore

Vide Epistolam Regis Magnæ Britanniæ Iacobi II.

jam

jam tum mortua, altera ad huc ſuperſtite, orbata quidem Marito, magno Principe FRIDERICO, cujus toga ſagoq́ue inclyti virtus & prudentia, & pro Imperii Germanici libertate publico nomine ſuſceptæ curæ neminem latent, non deficientibus tamen liberis, in quorum pectore heroicus ebullit ſanguis, nuper quoque contra Chriſtiani nominis hoſtem fuſus, non effuſus. Sed redeundum nobis ad Principes Fratres, Brunſvic. & Lynæb. Duces, quorum uterque mores eosdem, uterque JULII habet, hoc eſt, pietatem, doctrinam & ſtudia recta amant foventq́;, deditq; hoc DEUS illis, ut Proavi ſui ſucceſſores in Ducatu, has terras imperiò moderentur, & non tantum hujus Academiæ à Julio fundatæ Patroni, ſed ſeorſim ipſius oppidi, quod domicilium felix eſt Academiæ, Domini ſint. Fortaſſis & illi, qui ſecretiora curioſius fata rimantur, Brunſvicenſis Urbis ad obedientiam reductionem, ceßâ illâ in totum RUDOLPHO AUGUSTO, hoc in loco expendent. Scilicet Urbs magna, & primaria totius Ducatus à reliquo corpore ſeſe exemerat, Principesq́ue ſuos vix comiter reſpiciebat, unde Henricus Senior eam armorum vi primus, dein Henricus Junior, mox Henricus Julius bis, tandem Fridericus Ulricus aggreſſi, tormentis majoribus omnique belli vi, & ſtratagemate, oppugnarunt, licet fruſtra. Et Henricus Julius filiæ ſuæ Dorotheæ Hedwigis nuptias eopſe tempore celebrari fecit, quo urbem, anno ſeculi hujus V. obſedit, non ſine omine, naſciturum ſcilicet ex illo conjugio Nepotem, qui vindicaret Avos ſuos, *ex oſſibus ultor.* Urbs quidem ſemper refractaria, ex quo per potentiam, libertatis effrenes ſpiritus induerat, iisdem muris, qui-

bus

bus suam salutem tueri videbatur, ultorem inobedientiæ DEUM includere se nesciebat, & nihil minus metuebat, quando RUDOLPHUS AUGUSTUS, ante hos decem & quatuor annos, quod frustra tot principes, Majores sui, tentarant, Cognatorum, & jam consentientium, Ducum auxilio perfecit, &, in quos Atavus, Abavus, Proavusque justæ iræ suæ fulmina vibraverant incassum, eos ipse Abnepos, post ostensa ea tantùm, ad meliorem mentem reduxit, validamque urbem in gratiam recepit, nullorum jam munimentorum indigam, amore Principis sui securam, in illiusque sinu lætè quiescentem. Vivant diu Serenissimi Principes, Reipublicæ & Academiæ nostræ bono! Floreat RUDOLPHI AUGUSTI per filias posteritas, non Gvelphicis tantum, sed Holsaticis quoque connubiis læta! Floreat ANTONII ULRICI soboles mascula, &, dum Saxonicas Badensesque & Scbwartzburgicas familias filiæ, illæ Guelphicum genus ad seros usque nepotes, nunquam interrupto cursu, propagent. Nemo quidem nostrûm non doluit gravissimè, quando ante hos novem annos magnus Princeps AUGUSTUS FRIDERICVS, ANTONII ULRICI F. in quo HENRICI JUNIORIS fortitudinem & constantiam, JULII prudentiam & pietatem, HENRICI JULII temperatam fortitudine sapientiam lætè efflorescere videbamus, in quo Saxonia HENRICUM LEONEM, Germania ARMINIUM sibi promisisset; quando, inquam optimus ille Princeps, in ipso flore ætatis, in præcoce cursu virtutis, præfectus jam pedestri legioni, hostili globo in Philippopolis obsidione periit. At, dum ille auspiciis CÆSARIS, pro Germaniæ libertate, in terram effusus

heroicus

heroicus sanguis, laudem gloriamque simul in omnes orbis angulos diffudit: cumque celeritate virtutis ubique annos suos præcurrerit, non illos, sed facta numerabit posteritas. Interim gaudemus, quod ramo

uno avulso non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo,

superstitibus adhuc AVGVSTO WILHELMO & LVDOVICO RVDOLFO, optimis Principibus, quique erga hanc Academiam quoque benevolentiam suam sæpius præsentes testati sunt, verè JVLIVM genus. Servet utrumque DEVS, & alterum feliciter ad nos, principali fastigio dignis virturibus cumulatiorem, reducat!

Sed jam decurrit oratio mea ad alteram D. HENRICI JVLII neptem ex RVDOLPHO ANHALTINO, ELEONORAM, quæ FRIDERICO DVCI Holsatiæ, CHRISTIANI III. Regis Daniæ nepoti, nupta, multa illum prole parentem fecit. Nobis tamen nunc potissimum memoranda est ex filiabus ELISABETHA JULIANA, felicissimo fato in amplexus ANTONII ULRICI, in avitam iterum domum, translata. Quam bene conveniunt JULII Abnepos, & Abneptis! D. HENRICI JULII pronepos & proneptis! Quam felix illud conjugium! quot Heroum & Heroinarum proventu beatum! Olim apud Romanos placebant sibi AVGVSTÆ, titulo MATRIS CASTRORVM, MATRIS EXERCITUUM, hodieque in nummis superstitibus gloriosæ illæ inscriptiones leguntur. Ah! maneat Martiæ genti, & absit à sexus pietate ille nescio quid horridum sonans titulus, appellemusque ELISABETHAM JULIANAM, MATREM STVDIO-

RVM, MATREM ACADEMIÆ. Et cur non appelletur Mater noſtra, quæ JULII Fundatoris & Patris noſtri Abneptis, Divum genus tam feliciter propagat; quæ filios peperit, ſtudiorum & Academiæ affectu futuros Patres.

Diffundi in immenſum video orationem meam, Auditores optimi, & vix dum de una D. HENRICI JULII filia SOPHIA HEDWIGIS egi. Properandum igitur fuerit, aliquo verborum compendio, nullo tamen veritatis diſpendio. NASSOVIIS dedebatur altera HENRICI JVLII filia, SOPHIA HEDWIGIS. Quis veſtrum illam Domum neſcit, in utroq; ſolis notam cubili? quæ ex ſuis WILHELMVM in Auguſta Cæſarum ſede vidit, quæq; ultra viginti annos in Principum jam ordine claret. Summæ olim in orbe Chriſtiano potentiæ, ne magnitudine ſua plus juſto inſoleſceret, oppoſuiſſe eam viſus eſt DEUS. Sic per illos Hiſpanæ inſolentiæ obex poſitus, per illos Reſp. Batava honore aucta, Regibusque & ſummis principibus æquata eſt, famâ magna, divitiis & potentia major, oriente & occidente facto vectigali. In aliis familiis ſemper quidem nonnulli ſunt, qui Martem ament, & caſtra ſequantur. In hâc nullum pene invenire licet, qui non bello inclaruerit: ita omnes tropæis clari, ignotas quoque terras victorias ſecuti, eas impleverunt. Non Rheno, non Moſa, ſed Tago, & ipſo Platæ amne, &, qui ſui terminum neſcit, Oceano demum Victoriæ illorum terminantur. Dedit Naſſovia gens jam Maximiliani I. temporibus Belgio præfectum Engelbertum, ſecutis temporibus alios, vindices ſemper libertatis, ſtatores reipublicæ. Dedit eadem Friſiæ. Finiente ſeculo ſuperiori florebat ex illis gloria armorum, & prudentia, ita

Thuanus l. 136.

ita eminentibus ERNESTVS CASIMIRVS, ut non tantum Ordinum Fœderati totius Belgii CampiMarescallus, sed & Frisiæ Groningæque Præfectus constitueretur, celsus hæreditaria Nassoviorum dignitate, major Præfectura, maximus pilorum signorumque honore, nec tantùm suis verendus, sed hostibus timendus Princeps. Huic in Brunsvicensi obsidione anno seculi hujus quinto cognito, biennio post primogenitam filiam ex ELISABETHA, Daniæ Regis filia, SOPHIAM HEDWIGEM in ipso ætatis flore, decimo quinto ætatis anno, despondit Parens HENRICUS JULIUS, nuptiis Groningæ celebratis. Ex eo tempore novo semper & continuo victoriarum cursu in Vesaliæ expugnatione, ad Sylvam Ducis, ad Arenacum, alibi ad Mosam, maximi Ducis munus, non diffitente Ibero, implevit, *vigil, circumspectus, acer, omnium in castris fatigator, indefessus ipse: non quieti, non permissa somno, muniis eximere consuetus*, ut eleganter loquitur Cl. Heinsius in historia Rerum ad Sylvam Ducis gestarum, toto libro æquus virtutis Casimirianæ æstimator, & diligens præco. At fatalis ipsi fuit annus seculi hujus trigesimus secundus, magnis contra Hispanos Austriacosque molitionibus destinatus, fulminantibus hinc Belgis, inde Gallis Svecisque, jam fæderatis. Invictus Heros Auriacus Fridericus Henricus fæderati Belgii exercitum ad Venloæ Ruremundæq; obsidionem duxerat, comitatus Ernesto Casimiro, ob cognatum sanguinem caro, at ob virtutem bellicam cariore. Verùm, dum occupatis reliquis ad Venloam, Casimirus cum Scoticis, aliisque legionibus Ruræmundæ oppugnandæ munimenta excitat, & aggerem continuum castrensem equo descendens inspicit, globulo in capite vulneratur, eo eventu,

Histor. de Fred.Henr. de Nassau p. 150,

ut inter tertiam quartamve ab infelici ictu horam moreretur, magno totius exercitus dolore, majori ipsis ductoris HENRICI FRIDERICI, quo propius ejus virtutes noverat & intelligebat, victoriarumque suarum frequenter habuerat comitem, interdum causam. Ductum est Leovardiam corpus, & dignis tanto Heroe funeralibus compositum. Bonum vero factum, quod non extinctum cum eo genus! Supererat Brunsvigica Vidua, magnique Mariti jacturam Filiis duobus solabatur, paternæ gloriæ æmulis, Patris etiam dignitate auctis. At ex illis prior natu HENRICVS CASIMIRVS paterno quoque fato glorioso, accepto ad Fortalitium Nassaviense in Flandria vulnere, decimo tertio inde die, ante matrem occubuit, sed sine liberis. Alter WILHELMVS FRIDERICVS, unicum Matris solatium, patris fratrisque exemplo Frisiæ, Groningæ, Omlandiæ & Drentiæ gubernator, & Capitaneus Generalis, illustri cum Henrica Æmilia, Frederici Henrici Auriaci filia, matrimonio auctus, fortitudinis suæ, durante bello, & ad Dalense imprimis Castrum, speciminibus editis, familiam propagavit, bina sobole, una mascula, fæminea altera. Doluerunt omnes hujus magni Ducis fata ante viginti & unum annos, quando non in bello, quod fortassis majorum suorum exemplo optasset, non ab hoste, quod gloriosum sed à seipso, emisso fortuitò globulo, verso ad os sclopeti orificio, ita in maxillis fuit vulneratus, ut factis novis per ossium fragmina & dentes disjectos vulneribus, contusionem gravissimam gangræna exciperet, septimo die lethalis. O triste fatum optimi Principis! qui victoriis penè annos æquaverat, hoste semper major, vulnerumq; contemtor, sibi ipsi lethale vulnus

Vide Epistolá Ipsius & Deusingii.

vulnus infert. Cum tamen ita vita pariter, & ampliſſima præfectura ceſſiſſet, filio HENRICO CASIMIRO, ejusdem ſanguinis non tantum, ſed & animi principi, hæc data eſt, cumque citius per ætatem non poſſet, ante ſex demum annos ſolenniter ab Ordinibus eam accepit. Vivat generoſus princeps D. JVLII Atnepos, D. HENRICI JVLII Abnepos, Divumque genus ducta nunc HENRICA AMALIA, Anhaltina, lætantibus cunctis propaget. Ex eadem vero Naſſovica familia, ejusdem Dillenbergico ramo, avo Georgio, patre Henrico Ludovico, natus GEORGIVS LVDOVICVS, ANNAM AVGVSTAM, Henrici Julii ultimam natu filiam, duxit, quæ fœcunda mater facta, unicum filium HENRICVM reliquit, qui ex Lignicenſi Principe utriusque ſexus liberos, in ſpem ſolatiumq; poſteritatis, & magnorum Avorum gloriam, ſuſcepit.

Sed aliò me vocat argumentum. Aliò autem? quaſi vero jam ſatis de illuſtriſſima Naſſovica domo dictum ſit, de qua nunquam ſatis dici poteſt.

Sed cætera norunt,
Et Tagus, & Ganges, forſan & Antipodes.

Mea jam ad tertiam Henrici Julii filiam ELISABETHAM decurrit oratio. Illa primò AVGVSTO, Duci Saxoniæ, Electoris Chriſtiani I. filio, magni Augusti nepoti, data eſt, mente valido, corpore infirmo, poſt cujus immaturam mortem JOHANNI PHILIPPO, Saxoniæ etiam Duci, Altenburgico, ceſſit, cujus dein maſcula omnis propago eſſe deſiit. At ex illo felici matrimonio nata filia ELISABETHA SOPHIA, & in alteram ſtirpem Saxonicam tranſlata, nupſit ERNESTO, cujus ob plurimas virtutes & regendi artes, & rei Oeconomi-

nomicæ ſingularem peritiam, ubique valde celebris eſt memoria, ob pietatis ſerium cultum & promotionem longe celeberrima. Non poterat D. JULII, veræ in Saxonia Inferiori religionis & pietatis propagatoris, proneptis melioris Principis thalamum intrare, quam ERNESTI, qui ſine exemplo pius, nihil aliud prius aut antiquius toto regiminis ſui tempore habuit, quam ut collapſam ferali Germaniæ bello pietatem in ſuis, ubi id imprimis licebat, terris, reſtauraret. O quàm beata domus illo conſortio! quot acceſſerunt Principatus! non ferro acquiſiti, non humana opera, ſed per legitimam hæreditatem, totidem divinæ benignitatis teſtimonia. Acceſſit cœleſti favore fæcunditas thori, nec temerè tot ſeſe munimentis vidit firmatam Principis domus, ſeptem liberis maſculis ornata, qui nunc præter ultimum omnes, ductis uxoribus, ERNESTINAM ſtirpem, JULIAMque propagant. Nec reticendum hoc loco mihi eſt, tertio genitum filium, BERNHARDUM, Bernhardi, Germaniæ Achillis, nomine, patris Erneſti pietate clarum, altero conjugio duxiſſe ELISABETHAM ELEONORAM, Ducis Brunſv. & Lyneb. ANTONII ULRICI & ELISABETHÆ JULIANÆ filiam, ab utroque parente D. JULII abneptim, cum Maritus ejusdem D. JULII per matrem abnepos ſit. Et dubitamus adhuc, an D. JULII poſteritas ſuperſit, quæ per utramque Saxoniam tam amplis principatibus, regnisque dominatur? Quarta quidem filiarum HENRICI JULII, HEDWIGIS, memoranda etiam adhuc eſt, quæ tamen, cum ULRICO Pomeraniæ Duci, & Epiſcopo Caminenſi, nupſiſſet, nulla dein relicta ſobole, obiit. Nec quinta reticenda, DOROTHEA, quæ CHRISTIANO WILHELMO, Marchioni Bran-

Brandenburgenſi, Adminiſtratori Magdeburgenſi, nupſit, felici fortaſſis Principi, niſi illis calamitatibus & miſeriis, quibus Germaniam omnem punire Deus decreverat, inter primos involutus fuiſſet. Vidit ipſa cum Marito dilectæ Metropoleos ſuæ horrendum excidium, vidit, & ea tulit, quæ meminiſſe horret animus, luctuque refugit: verſam tamen rerum ſcenam, hoſtiumque ſuorum vim fractam intuita, pacemque Germaniæ, quod unicum optaverat, redonari cum aliis lætata eſt, unicamque filiam SOPHIAM ELISABETHAM Wilhelmo Saxoniæ Duci dedit, quæ tamen ſine liberis deceſſit.

Non vana igitur eſt promiſſio divina, ducitque à Patribus benedictionem piorum ſoboles, & late in terris ſe propagat, etiamſi ad maſculos, aut fæmellas adſtricta non ſit. Vidimus nos, JULIAM ſtirpem maſculam qvidem defeciſſe, ſed Heroinas egreſſas patria domo alibi terrarum ſe virtutemque & pietatem multiplicaſſe. Vidimus ex illis natos Heroas, libertatis religionisque veræ ſanguine ſuo vindices, rectorum ſtudiorum tutores, Academiarum & eruditorum patronos. Serva DEVS, & protege, quicquid eſt JVLII ſanguinis! imitentur facta Tua Pronepotes & Abnepotes, decorentque vitam virtutibus, Rempubl. meritis, annales gloria ſempiterna. Nos vero, qui maſcula D. JVLII ſobole extincta, totius Potentiſſimæ Domus BRVNSVICO-LYNEBVRGICÆ facti ſumus clientes, in privilegiis noſtris conſervati, novis beneficiis aucti, triplicique jam clypeo tutiores, rogemus hoc die, ſupplici prece, Opt. Max. DEVM, ut Sereniſſimos Principes omnes bono publico diutiſſime ſoſpitet, ut

per

per eos, ceu hactenus factum est, Pax his regionibus, tranquillitas Academiæ, præsidia Musis, autoritas studiis, artibus & scientiis incrementum concilietur, ad invidiam viventium, gloriam posterorum. Serva DEVS Magnificentissimum Academiæ Nostræ Directorem, Reverendissimum Serenissimumque Principem ac Dominum, Dn. ERNESTVM AVSGVSTVM, Dominum nostrum clementissimum, Patriæ Votisque publicis feliciter ex Italico itinere nuper redditum! Videat ille, ac lætetur natos ex sese Heroes virtute annos præcurrere, fulminare ad Istrum, vincere ad mare, victoriisque Europæ omnes angulos implere. Videat nepotes quoque ex filiis, filiaque, spes & solatia posterorum! Ceu nuper ex Illustris Brandenburgicæ cum Brunsvico-Lyneburgica Domo conjunctione natus FRIDERICVS AVGVSTVS, natus in spem imperii, inque Electoriam aliquando, Regiæ proximam, dignitatem, non Avos tantum utrinque, sed totam Germaniam, imo Europam, necessitudinis vinculo conjunctam, exhilaravit, provincias vero plurimas, & civium myriades incredibili gaudio perfudit, Avorum virtutem, prudentiam, felicitatem, magnitudinemque ipsi nobiscum apprecantes. Servet vero benignissimus DEVS reliquos quoque Serenissimos Principes ac Dominos nostros, Dn. GEORGIVM WILHELMVM, Dn. RVDOLPHVM AVGVSTVM, Dn. ANTONIVM VLRICVM, Dominos nostros clementissimos! Videant omnes lætam domum suam, tranquillam Rempubl., senatum unaminem, exercitus fortes, &, ceu hactenus Dei beneficio factum est, fortissimi & truculentissimi hostis, ubique Victores!

ADDEN-

ADDENDA.

Cum ad ea, quæ pag. 14. de Sereniss. FRATRUM, totiusque potentissimæ BRUNSVICO-LUNÆBURGICÆ DOMUS concordia memoravimus, illustranda, plurimum faciant Serenissimi & Potentissimi Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regis JACOBI II. litteræ, nuper missæ, eas ex autographo descriptas hîc subjungere operæ pretium duxi.

JACOBUS II. Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Rex, Fidei defensor, &c. Serenissimis & Celsissimis Principibus, Dominis Rudolpho Augusto & Antonio Ulrico, Brunsvicensium & Luneburgensium Ducibus, Consanguineis & Amicis nostris carissimis, Salutem. Serenissimi & Celsissimi Principes, Consanguinei & Amici carissimi. Quanquam binas à Cels^{bus} Vestris litteras una accepimus, primam à Celsitudine Vestra seorsim (Domine Rudolphe Auguste) Guelpherbyti 10mo die Augusti nuper elapsi

ſcriptam, qua Nobis ſignificat, ſe fratrem ſuum Antonium Ulricum in Regiminis conſortium recepiſſe, alteram ab utrisque Veſtrum in eadem urbe 18vo die menſis ejusdem ſignatam, qua Rebellium Noſtrorum conjurationes funditus everſas, profligatasq́, amiciſsime ſimul gratulati eſtis; tamen utrisq; illis litteris una hac noſtra reſpondere voluimus, ut ſincerum Noſtrum de Veſtra conjunctione gaudium eo ſignantius intimiusq́ exprimeremus. Victorias quidem noſtras, ſatis in ſe gratas, gratiores tamen ſentimus, quod lætitiam amicorum noſtrorum undiq́ nobis accerſant, & præcipue Celſitnum Veſtrarum, quarum amicitiam inter primas ſemper habebimus. Sed, ut ad Unionem Veſtram redeamus, totus Orbis Serenma Domus Brunſvicenſis & Lyneburgenſis Concordiam, animorumq; & conſiliorum harmoniam, jam diu merito collaudat, qua tot illuſtres rami in unum quaſi truncum robore & firmitate notabilem coaleſcunt, ut minime mirum videatur, ſi duo fratres in ejusdem Dominii participationem tam facile conſpirent. Quod ut felicitatem tam votis Noſtris

stris, quam mutuis affectibus Vestris æquiparabilem sortiatur, utq; Deus Opt. Max. Celsit^{nes} Vestras diu conservet, ex animo precamur. Dabam apud Castrum Nostrum de Windsor. 27. die Septembr. Anno Domini 1685. Regniq; Nostri primo.

Cel^{s}. Vestrarum

consanguineus & amicus

Jacobus R.

Middleton.

Serenissimis & Celsissimis Principibus, Dominis Rudolpho Augusto & Antonio Vlrico, Brunsvicensium & Luneburgensium Ducibus, Consanguineis & Amicis nostris charissimis.

QUoniam etiam ſupra pag. 20. mentionem feci, improviſi illius vulneris, quod ſibi ipſi inflixit WILHELMUS FRIDERICUS, Princeps Naſſovius, litteras Ipſius, quibus triſtem caſum nunciat WILHELMO HENRICO Principi Auriaco, ſuoque exemplo proficere & cautum eſſe jubet, & ſimul, quia in illis bene adhuc de vulnere ſuo ſperat, alias Archiatri ejus, Antonii Deuſingii, quibus periculum & mortem inde ſecutam, narrat, uti tum mecum communicatæ fuerunt, publicæ luci exponam.

Monſeigneur,

Quoy qne j' aye toute la retenue imaginable de vous affliger, je ne puis neantmoins vous celer le deſaſtre qui m' arriva hier au matin par un malheur auſſi peu preveu, que funeſte pour moy & deplorable pour les miens. C' eſt que voulant faire dans ma chambre l' eſſay d' un piſtolet, ſur ce que le feu ne voulu pas d' abord prendre à la morce, je ne l' ay pas ſi toſt tourné pour voir

voir a quoy il manquoit qu' il tira droit au menton, de façon que tous mes dens en sont esbranlez & que je ne puis parler ou rendre du voix articulée. Avec tout cela j' ay de quoy me consoler deu qu' il n' y a point de parties blessés qui me doivent apprehender, que la blessure soit mortelle, tellement que les Medecins me donnent asteur esperance d' une prompte & entiere guerison. Dieu m' en face la grace, & vous conserve encore longues annees en parfaite santé. C' estle veu

Monsgr.

de V, Alt.

tres obeis, tres humble, fidelle

Serv. & Valet.

G. Fredrich P. de Nassau.

propr. manu.

Leew. 15—25 Octobr. 1664.

Je supplie V. Alt. de prendre garde à Soy, que

des méme malheurs ne luy arrivent avec des armes à feu, & que je luy sois, & serve de patron, & qu'elle s'en profite.

A. S. Alt. Monseigr. le Prince d'Orange

à

Honslerdyck.

Nobilißime Vir,

Luctuosißimum tandem funestißimi vulneris eventum malui per alios, quam per me ipsum vobis innotescere. Placide in Domino obdormivit gloriosæ memoriæ Princeps $\frac{31.}{21.}$ *Octobr. paullo ante septimam vespertinam, post fidei salvificæ, ac fiduciæ certæ in Salvatorem suum Christum, plenißima signa, sensu interno ac mente constante, ad ultimum penè vitæ halitum, quin & scriptis exercens constantiam animi, cum nullus amplius perciperetur pulsus, usq; adeò, ut*

ut tandem dispositis omnibus, quæ propriam ejus salutem spectabant, ac illustrissimam domum, media hora ante obitum commendaret celsissimam conjugem ac liberos precibus Pastorum, signatis propria manu verbis. In condiendo cadavere vulnus longe periculosius, quam ante potuimus commode percipere, ad oculum invenimus. Præterquam enim, quod maxilla inferior penè tota esset diffracta & disjecta, ac comminuta in partes, quæ singulæ, (quemadmodum & ipsimet dentes) globulorum in vulnerandis ac confringendis partibus vicinis subiêre vices, etiam superior, qua parte eruperat globus, juxta dextram nasi alam, aut paullo altius, unà cum dentibus disjecta erat, reliqua parte confracta ad oculum usque. Linguæ quoque pars aliqua demta erat, quæ eadem anterius fissa, & per medium, sive ossiculo, sive dente trajecta, ut per foramen digitus minimus transmitti potuisset, immobilitatis suæ prodebat causam, ad quam accedebat vulnus sub lingua, penetrans ad fauces usque, quousque etiam muscu-

musculi faucium nonnulli, præsertim illi, qui motui linguæ inserviunt, per consensum saltem male fuere affecti. Vale. Dabam Leowardæ. 3. Nov. 1664.
24. Oct.

A. Deusingius.



entis Atestinæ semper venerabile germen,
Et Proavis & Avis par, FRIDERICE, tuis.
Post quartum Ottonem hoc visus de stemmate dignus,
Cæsareus crines cui decoraret apex.
Concipe nunc priscos in siccis ossibus ignes,
Dum Tibi vindicias post Tua busta damus.
SCHENCKIUS has Tibi dat, Linguis animisq; favete!
Nunquam non pietas digna favore fuit.
Est alibi virtus verum invenisse, malamque
Affrictam scabiem tollere ab Historia.
At Patriæ Ducibus meritum asseruisse decorẽ,
Non minus ingenii, plus pietatis habet.

Ut generis splendore, ita virtute & doctrina eminere cupienti Dn. SCHENCKIO l. mq, applaudit.

HENRICUS MEIBOMIUS.

Historiam, cujus vera est prudentia judex,
Scribere, res, SCHENCKI, stemmate digna tuo est.
Nobile, quod tractas hôc scriptô, est argumentum,
Nobilis hinc meritò diceris *historicus*.

Prolixum affectum, geniô & Genere Nobilissimo Dn. Autori paucis verbis testatus scripsit

JOH. Dencker Juris Pract.

Madrigal.

Wer lobt/ mein Freund/ nicht dein beginnen?
Du schreibest jetzt was nimmer wird vergehn.
So müssen deine kluge Sinnen
Den Landes-Göttern hier zu Dienste stehn.
Der Tapfre Friederich/ den hoher Fürsten Raht
Vnd seine Fähigkeit zum Oberhaupt erwehlet/
Wird billig unter di Gekröhnte mit gezehlet/
Ob gleich ein schnöder Mord sein Glück verhindert hat.

Diß

Diß lehret deine Schrifft
Di dir ein Lob/ das Ewig wehret/ stift:
Vnd billig! denn/ wer di Geschichte weiß/
Vnd selb' an seinen Fingern zehlen kan
Der ist ein rechter Edel-Mann.
Wer aber selber nichts erfahren/
Auch nicht weiß waß vor seiner Zeit geschehen/
Ist am Verstand' ein Kind/ ob gleich er alt an Jahren.

Glückwünschend schrieb dises
Christoph. Zeigener/
von Riga auß Liv-Land.

Qui bello atque toga memoratam cernere gentem,
Quæ de Guelphorum nomina stirpe trahit,
Præprimis FRIDERICI animum, quem candida virtus
Extulit, invidiæ sustulit umbra, cupis,
Huc oculos adverte tuos. Sic nempe videbis,
Includi paucis grandia multa typis.

Singularis amicitiæ ergo scrib.
Georg Ehrenfried à Nauendorff
Eq. Misn.

